



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 128. Mane autem facto. v. 1.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

acceleratæ fuerunt eius lacrymæ, & illico ad se redijt: ita electicum labuntur eadem præventi gratia citò ad se redeunt, uti & equus generosus, qui à cespitatione fortuita illico se colligit & quasi verbera metuens exilite cautiorque incedit. plane ita, plane Petrus lapsus unico nutu Dei semel ab eo respectus, ad eò conuersus est, & tanta cum celeritate ab omni perturbatione, tam fortiter sese conuertit ad Deum, ut is enim reciperet in amicitiam, peccatum remitteret, & in amore multo amplius stabiliret.

Olesi benignissimè quàm felices sunt illi, quos ita respiciunt oculi tui, quos sic micantibus illustras radijs diuinæ lucis tuæ, ut & fundum suum perspicere & vitia sua agnoscere queant, quam citò illi conuertuntur quam celeriter frigida illa & dura corda emollescunt, accenduntur, amore liquecunt & fluunt lacrimis: quæquæ antea à peccatis abstinere non poterant, jam corde conuerso clamant, peccavi Domine, miserere, peccavi Domine quid me vis facere? Certe mirum non fuit lugere Petrum amarè magis autem mirandum non creuisse præ angustia & tremore cor illius, cum Dominus de tecto eius fundo suæ eum peccata fecit intueri, cernereque quantum dilecto suo Magistro contemptum & iniuriam itrogasset. O qui sic vel semel suum pelleret fundum conscientia perspicere. Iesu bone, mihi maximo peccatori hanc gratiam concede, ut & cum Petro lacrimarum calidarum fontes ob peccata ex oculis cordis & corporis uberrim scaturiant, ut & cum Petro merear gaudere in die resurrectionis corporum, quod hic in terris fleuerim amare, fleuerim amore, & criminum meorum maculas expurgatum.

CAP. XXVII.

5. 128. Mane autem factò. v. 1.

Quæ huc usque contemplati fuimus, nocte illa tristi tenebrosa & amara valde, quæ præcessit parasceuen, facta sunt, nunc illucescit dies, dies sæculi, dies tam diu desideratus, in quo reparandum erat genus humanum, de vincenda mors, coercendus infernus, cælum aperiendum princeps mundi acie & prælio magno prosterneendus, & scripturæ implendæ. Hic est enim ille dies, quem ante multa sæcula videre desiderauit Abraham, cum omnibus credentibus. imò hic est dies, quem etiam ipse Christus desiderio desiderauit. denique hic est ille dies quem principes Iudæorum auide expectabant, sed valde dissimiliter, Abraham cum fidelibus, ut à Christo redimerentur, Christus ut eos redimeret, Iudæi ut Christum perderent.

K. 3.

O lesa.

O Iesu desideratissime, quid tibi animi erat cum diei huius matutinum crepusculum cerneres? Credo iisdem te affectibus & cogitatione utum, quibus S. Cæcilia virgo tua postea usa fuit, in animandis martyribus: & ego cū illa, & tecū simili affectu dico: *hac est dies desideratissima omnibus hominibus, hac est dies quā fecit Dominus, hac est dies qua Dominus afflictionem populi sui respexit, & fecit redemptionem.* Ergo hunc diem nostræ redemptionis deuote recolamus, cum omni gratiarum actione dicentes: Gloria tibi Domine, quod vixerimus & viderimus hunc diem redemptionis nostræ: diem propitiationis, quem patris nostri videre capiebant & non viderunt, nec valuerunt. O magna gratia Dei nostri, erga nos miseros peccatores.

§. 129. *Consilium inierunt omnes Principes Sacerdotum & seniores populi aduersus Iesum. v. 1.*

Heri instituerant consilium postquam ab Anna fuisset missus ad Caiapham de nocte, nunc iterum mane conueniunt omnes Principes Sacerdotum & seniores populi ad consilium ne forte censeretur minus legitimum quod de nocte habuerant, & absentibus quibusdam, ne & obijceretur parum exacte & semel tantum pōderatum fuisse negotium Christi damnationis, imo vero & multo magis ut consultarent, quā viâ ratione & modo possent Iudici Romano & gentili eum tradere, ut morte turpissima damnaretur, quali ipsi damnare nequebant. Quam verò totum id callide, quam vafre actum?

O mi Iesu, quam vigiles, prompti & veloces sumus ad faciendum malum! obsecro te per hoc consilium iniquum, ne vnquam conueniam aut velim nocere proximo quouis modo, sed studeam omni tempore honestati, iustitiæ, æquitati circa omnes, idque propter amorem tui solius, ne aduersum te quid agam ne in partes trahar malignantium, vel specie boni pulchrè illudentium incautis. sed simpliciter, uti iussisti proximum diligere, sicut seipsum, sic præceptis tuis satisfaciam non credens omni spiritui, etsi sanctus videatur. Regat me sancta sedes Apostolica Romana, & quantæ vis aliæ succedant phantasiæ Humanæ.

§. 130. *Vt cum morti traderent. v. 1.*

Ecce finis consilij Principum & conuentus, adeo matutini. erat quidem conceptus pridem in mentibus eorum, à tempore scilicet, quo cepit Iesus docere & prædicare, Noui Testamenti Euangelium, & increpare vitia Sacerdotum & Principum Iudæorum, inde enim cœperunt cogitare, sed illo mane cœpit nasci malus fœtus cordis, putantes per mortem extinguerè